

Visio Baronti monachi Longoretensis<sup>1</sup> (ed. W. Levison, MGH, Script. rerum Merov. 5, 377-394) [a. 678 o 679 d. C.]

1. Memorare vobis volo, fratres carissimi, per ordinem, quid moderno tempore contigit in monasterio sancti Petri apostoli, qui nuncupatur Longoretus nomine.

Frater quidam nobilis progeniae, Barontus nomen, nuper conversus pervenit ad monachatus ordinem. Qui cum matutinas laudes Deo reddidisset in ecclesia cum fratribus devote, mox ut ad lectum suum redivit repente febre correptus ad extremum funere deductus coepit magnis doloribus exagitare filiumque suum nomine Aglioaldo vocare, ut cum summa festinatione ad Eodonem diaconem deberet ambulare, et eum pro fraterno amore veniret visitare. Tunc ipse puer coepit cum eiulato magno currere et vocato fratre secum adducere. Ad ubi ipse frater in eandem domum intravit, in qua aeger Barontus iacebat, coepit eum bis terque appellare; sed ille nihil omnino valuit parabolare, sed digito gulam suam ei monstrabat et ante oculos palmis fortiter repugnabat. Tunc tremefactus frater, ad cotidiana arma conversus, coepit se signare et cum gemitus graves rogabat consparsum in ipsam domum facere, ut turbam malignorum spirituum fugaret. Sed ille frater, manus suas ad latum suum extensas, oculos clusos, coepit semivivus iacere, ita ut nullum omnino possit videre.

2. Tunc fere hora tertia convenerunt, ut pro eius vitam Deum innixis praecibus funderent. Qui ut viderunt nullum membrum agitare, lacrimare prae dolore vehementer nimis coeperunt et pro eius animam turmasque componere, qui psalmodiae cantus recitarent per ordinem, ut caelestis medicus mitteret animam in corpore. Sicque factum est ut psallentius fratrum tota die numquam interromperet, usque dum pervenit vespertinus ordo, in quo laudes Dei more solito in ecclesia canendum imponent. Ad ipse frater sic statim perdificuit in corpore, ita ut iam nullus qui eum videbat de eius vitam temporalem habere fiduciam possit. Sed servi Dei, ut viderunt, psallere fortius coeperunt et pro eius animam caelestem rogare conditorem, ut, qui eam de Aegypto tollebat, conlocabat in aeternam regionem. Sicque pernoctantes in psallendum, pervenerunt ad pullorum cantum, in qua hora mira ibi apparuit virtus Christi ostensa, quae non debetur tacere per totam catholicam ecclesiam, ut qui

---

<sup>1</sup> Longoretum, oggi Saint-Cyran-du-Jambot, nella diocesi di Bourges (Centre-Val de Loire).

audiunt expavescant de illorum vitia et ex toto corde convertantur ad Christi servitia, ne in novissimo plangent in perpetua poena, qui hic emendari noluerunt per paenitentiam veram. Mox illis psallentibus expergefactus, oscitavit, oculos aperuit, bis terque laudes Deo reddidit et prima verba haec ex ore reddidit : «Gloria tibi, Deus ! Gloria tibi, Deus ! Gloria tibi, Deus !» Econtra fratres, ut viderunt, cum tremore magno gratias Deo agere coeperunt, qui sic suum servum reddidisset vivum in corpore, quem iam nullus sperabat audire loqui.

3. Tunc omnes congregati in unum interrogaverunt illum per ordinem, ubi fuisset vel quid vidisset, eis per singula exponeret. Ille vero quasi ex gravi somno evigilans dixit: «Quando me vidistis externa nocte matutinis laudibus Christi vobiscum incolumem consumasse, mox, ut ad proprium stratum sum reversus, tunc subito somno gravatus obdormivi. Sed statim in ipso sopore venerunt duo taetri daemones, quorum aspectum tremebundus ferre non poteram, qui me strangulare violenter coeperunt, cupientes me efferatis dentibus degluttire, et sic ad infernum deducerent. Et usque ad tertia hora caedentes me audaciter, adfuit mihi in adiutorium sanctus Raphael archangelus<sup>2</sup>, in splendore claritatis fulgidus, qui illis coepit prohibere ne in me amplius saeve agerent. Sed illi superbi contra eum reluctantes dixerunt: «Si claritas Dei eum a nobis non auferat, tu nullatenus potes auferre». Tunc ergo ait ad illos sanctus Raphael: «Si ita est, ut dicitis, eamus pariter ad Dei iudicium, et ibi reputetur vestrum vitium». Sic illis tota die altercantibus, venerunt usque ad vespertina hora. Et ait ad eos beatissimus Raphael: «Ego istam animam mecum hinc ante tribunal aeterni iudicis duco, sed spem eius hic in corpore relinquo». Sed et ipsi obiciunt quod numquam eam dimittunt, nisi Dei iudicio priventur.
4. Hoc audito, sanctus Raphael extendens digitum tetigit gutturem meum, et ego miser statim sensi animam meam evulsam a corpore meo. Sed et ipse animam, in quantum mihi visum fuit, quam parva sit, referam. Sic mihi videbatur, similitudinem de parvitate haberet ut pullus aviculae, quando de ovo egreditur. Sic et ipsa parva caput, oculos et cetera membra, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum ad integrum secum portavit ; sed loqui minime potest, donec ad discussionem veniat et corpore de aere recipiat similem, quem hic reliquit». Sequitur : «Sed et ibi super meum pectusculum non parva fuit inter eos contentio.

---

<sup>2</sup> L'arcangelo Raffaele come guida celeste compare già nel *Libro di Enoc* (c. 22), poi in una delle redazioni della *Visio Pauli*.

Sanctus Raphael pugnabat pro animam meam elevare ad caelum sursum et daemones cupiebant semper praecipitare deorsum. Sed sanctus Raphael, adhibitam virtutem, coepit a terram elevare et de dextero latere fortiter sustentare. Ad contra daemones, unus ad sinistro latere restringebat me amare, et secundus daemon postergum calcibus me caedebat graviter et dicebat cum iracundia plenus: «Iam alteram vicem te habui in potestatem et nocui valde, nunc autem in infernum cruciaberis perpetualiter»<sup>3</sup>.

5. Ista dicendo ut enim ascendimus super monasterii silvam, signum sonavit ad vespera statim super ipsam basilicam. Mox Raphael sanctus imperavit daemonibus, dicens: «Recedite, recedite, cruentae bestiae; iam non potestis nocere ad istam animolam, dum signum sonavit super ipsam ecclesiam, quia fratres congregantur, ut orarent pro illam». Sed illi nequaquam adquiescebant, sed fortius latus meum calcibus tundeabant, et sic rapido cursum pervenimus super monasterium, qui vocatur Millebeccus nomen. Super quem sanctus Raphael oravit prolixè et hunc capitulum edidit ex ore, dicens: «In omni loco dominationis eius benedic, anima mea, Dominum» (Ps. 102, 22). Et ego, ut audivi, respexi et vidi ipsum monasterium et cognovi cunctum gregem celebrantem vespertinum officium et unum ex fratribus vidi portantem herbas virentes ad quoquinae servitium. Hoc, dilectissimi fratres, satis debemus cum grande tremore admirare, ut inter duo monasteria duodecim milia spatium sic sub uno horae momentum anima capta transportasset usque super beatissimorum virorum habitacula. Sed et sanctus Raphael, expleta oratione, dixit: «Visitemus hunc servum Dei verum, qui aeger iacet in isto monasterio et est dispar humilitate et opere ceteris in urbem Beturivae». Quem gravis molestia paene usque ad mortem perduxerat, qui cibum capere nullo modo poterat, de cuius sanitatem desperati omnes fratres non aliud tractabant, nisi quomodo eum sepulturae traderent.
6. Sed post archangeli visitationem et ipsius confortationem ipse praefatus (?) abba Leodoaldus inde refert magnum miraculum, quod terrere potest corda incredula, qui non compunguntur, ut agant paenitentiam de illorum crimina et rogent sanctum Raphael, qui interpretatur Dei medicina<sup>4</sup>, ut veniat et curet illorum crimina, ne diabolus eos captos ducat ad aeterna supplicia, unde non possint effugere ad eorum temporalem laetitiam, in qua habent totam fiduciam. Tunc ipse abbas adserit quod illa hora, quando ipse frater Barontus

---

<sup>3</sup> La lotta tra i diavoli e l'arcangelo deriva da Gregorio Magno, *Dialogi*, IV 37, 12.

<sup>4</sup> Anche questa etimologia deriva da Gregorio Magno (*Hom. in evang.* 34, 9; PL 76, 1251A).

se dicit cum sancto Raphaelo ibidem adfuisse, mirum splendorem super ipsam domum se vidisse testatur, in qua ipse aeger prae infirmitate iacebat et multum in pectore dolore gravatus, et subsecutum sanctum Raphael in fulgore vultus totam domum inluminantem et super pectus ipsius impressum signum crucis transeuntem, et illa hora de sua infirmitate, quam in pectore graviter gestabat, sanavit.

7. Post ista omnia acta dicit ipse Barontus: «Ut autem ipsum monasterium pertransivimus, occurrerunt nobis alii quattuor daemones nigerrimi nimis, qui me cupiebant dentibus et unguibus lacerare crudeliter. Et ego peccator, ut vidi, fortiter coepi timere ne me a sancto Raphaelo auferent et in foveam inferni demergerent, dum illi iam sex et ille unus non possit eis resistere. Sed beatus Raphael fortiter eis resistebat, et dum invicem altercarent succurrerunt nobis duo angeli in alba veste et mirifico odore, qui veloci cursum adpraehenderunt pedes sancti Raphaelis deorsum et inciperunt antiphonam decantare: “Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam” (Ps. 50, 3). Statim illi daemones vires perdiderunt et duo in terra ceciderunt et evanuerunt, et inde alii duo inantea similiter fecerunt. Sed illi primi, qui, quando a corpore abstractus fui, praesentes adfuerunt, numquam recesserunt, sed semper nobiscum comitatum habuerunt. Et iuxta inferno iter habuimus et custodes infernorum vidimus.
8. Et sic postea post secunda pugna peracta venimus primam portam paradisi, ubi plures vidimus ex fratribus monasterii nostri, qui erant congregati, praestolantes diem iudicii, ubi gaudia aeterna plenissimam recipiant. Quorum nomina hic inserta tenentur, id sunt : Corbolenus presbyter, cui Deus bona in saecula<sup>5</sup> praestavit; Fraudolenus presbyter, qui dies suos bene custodivit; Austrulfus diaconus, qui a momento de saeculo iusso Dei discessit ; Leodoaldus lector, quem Deus proprio benedixit ; Ebbo lector, Dei servus electus. Hi omnes, ut nos viderunt et daemones latere meo sinistro vehementer adstringere, stupefacti sermocinare nobiscum voluerunt, sed nequissimi daemones nullo modo locum dare de illorum parte volebant, sed servus dei magnus nomine Leodoaldus sanctum Raphaelum per creatorem caeli et terrae coniuravit, qui me paululum repausaret ; tunc ipsi humiliter sanctum Raphaelum et me infelicem <...>, sciscitantes de qualem coenobium fuissem et quam ob causam sic graviter errassem, ut daemones in me accepissent talem potestatem.

---

<sup>5</sup> fort. *in saeculo* “nel mondo”.

Et ego aio ad eos : «Ex monasterio sancti Petri Longoreto nomen, et ista omnia quae patior pro culpas meas et facinora evenisse non denego. Ad illi, intrinsecus tacti nimio dolore, ut cognoverunt me esse de illorum congregatione, gemere coeperunt et dicere quod numquam diabolus de eodem monasterio laqueare praesumpsit ullam animam. Sed sanctus Raphael blande eos de me coepit consolare, dicens: «Ego spem in ipsius corpusculum reliqui ; sed si Pater caelestis voluerit, adhuc illuc remeabit». At contra ipsi fratres coeperunt sanctum Raphaelum humili praece rogare, ut se simul in terra iactarent et pro me pium Dominum deprecarent, ne me dimitteret anticum hostem devorari, et sic se pariter in oratione dederunt.

9. Mox, expleta oratione, venimus ad secundam portam paradisi, ubi erant innumerabilia milia infantum vestibus albis exornati, una voce concorditer Dominum laudantes. Et nos statim ut ingressi sumus infra ipsa porta per medium sanctorum illorum, vidimus semitam parvulam praeparatam, per quam coepimus iter carpere per semitam usque ad alia porta. Sed tanta erat multitudo virginum in utraque parte, ad dexteram et laevam, quo pervidere nullus hominum praeter Deum poterat. Qui nos ut viderunt, pari voce clamare coeperunt: «Anima vadit ad iudicium». Et nunc iterum repetunt: «Tu vince, bellator Christe, tu vince, et non diabolus ipsam ducat in Tartarum !».

10. Deinde venimus ad tertiam portam paradisi, et ipsa porta habebat similitudinem vitri. Et intro erant multitudo sanctorum coronatorum, in vultu fulgenti, sedentibus in mansiunculis et in sedibus suis, gratias Deo semper agentes. Ibi et multitudo sacerdotum, excelsi meritorum, quorum mansiones laterculis aureis erant aedificatae, iuxta quod et sanctus Gregorius in Dialogorum memorat<sup>6</sup>. Et adhuc multorum mansiones aedificabantur in grande claritatem et honore, quorum habitatores in praesenti non videbantur ; sed mansiones in caelo ille aedificat, qui esurienti panem tribuere non cessat. Et dum haec omnia diligenter cernerem, adfuit mihi unus ex fratribus nostris nomine Corbolenus, qui iam olim obiit, et ipse mihi in his locis monstravit mansionem magno honore constructam et dixit : «Haec mansio abbati nostro Francardo, et non inmerito eam ei Dominus praeparavit». Quod ego vidi de illius gesta, pauca exinde referam, quia ipse enutrivit me ab infantia. Erat in Dei timore devotus et de sacra lectione instructus, et per illius religione sive attractione datae sunt ad

---

<sup>6</sup> Cfr. Gregorio Magno, *Dialogi*, IV 37, 9 e 15-16.

ipsius monasterium bonae possessiones, unde servi Dei et peregrini habent plenam consolationem; erat enim nutritor et doctor filiorum nobilium; quem longa aegritudo purgavit ad purum, et, ista bona facta, praeparavit illi Deus aeterna gaudia.

Deinde ingressi tertia porta cum cito itinere agere coepimus. Qui nos ut sancti martyres viderunt, protinus se in oratione dederunt ; simili voce, ut superius diximus, clamare non cessaverunt : «Tu vince, bellator fortis Christe, qui nos sanguinem fundendum redimisti, et non diabolus istam animam ducat in Tartarum». Omnino absque mendacio dico : sic arbitravi, quod in toto mundo resonavit strepitus vocum sanctorum.

11. Et sic deinde pervenimus quartam portam paradisi ; et ibi recognovimus unum fratrem nostrum nomine Betoleno, qui aliquando iacuit ad portam monasterii nostri contractus in grande tribulatione, sed satis ibi erat in magna consolatione; et dixit mihi, quod per ordinationem sancti Petri accepisset curam in toto mundo de luminaribus ecclesiarum, et me coepit arguere, cur ecclesia nostra, quae in eius honore est constructa, lumen in nocte deficeret et non per singulas horas arderet, et ipse procul dubio hoc ad praesens videret. Iam deinde non habuimus amplius commeatum introeundi, sed mirum splendorem et claritatem in totas partes vidi, quam cernere vix parumper reverberatis oculis potui.

12. Tunc sanctus Raphael arcessivit unum ex angelis, quem transmisit, ut Petrum apostolum ad se cito convocaret<sup>7</sup>. Tunc ipse cursu veloci abiit et vocavit sanctum Petrum ; at ille, nullam moram tardantem, advenit, dicens : «Quid est, frater Raphael, quod me arcessere fecisti ?». Cui sanctus Raphael ait : «Unum ex monaculis tuis contradicent daemones nec omnino volent eum laxare». Ad contra beatus Petrus venusto vultu conversus ad ipsos dixit : «Quod huic monacho habetis crimen opponere ?». Et daemones dixerunt : «Principalia vitia». Et Petrus : «Dicite illa!». Et illi dicunt : «Tres mulieres habuit, quod ei non licuerat ; excepto, perpetravit alia adulteria quamplurima et alias culpas, quas nos ei suasimus, multas» ; et illas, quas ab infantiam gesseram, rememoraverunt illi per singula, et hoc quod ego numquam ad memoriam reducebam. Et Petrus ad me : «Est veritas, frater ?». Et ego : «Veritas, domine». Et ait ad illos beatissimus Petrus : «Etsi aliquid contrarium egit, elemosynam fecit – elemosyna enim de morte liberat – et sua peccata sacerdotibus est confessus et paenitentiam ex ipsa peccata egit ; et insuper sua coma in meo monasterio deposuit et omnia propter Deum dereliquit et semet ipsum in servitio Christi tradidit. Omnia

---

<sup>7</sup> Pietro è qui chiamato come santo protettore del monastero di Longoretum e dunque anche di Baronto.

ista mala, quod dicitis, supercalcavit ista bona. Vos eum modo mihi auferre non potestis ; aperte cognoscite, non est vester socius, sed noster». Ad illi fortiter repugnantes contra eum dixerunt: «Nisi claritas Dei eum a nobis auferat, tu non potes auferre». Tunc sanctus Petrus in ira contra eos commotus eis bis terque dicere coepit : «Recedite, spiritus nequam ; recedite, inimici Dei eique semper contrarii, dimittite illum!». Et illi numquam me volentes laxare, statim beatissimus Petrus, tres claves habentes similitudinem hanc<sup>8</sup> in manu tenens, voluit eos ex ipsis clavibus in capite percutere. Sed concitu cursu, alas expansas, volatu veloci fugere coeperunt ; et volentes unde prius intraverant redire, sed fortem vocem eos beatissimus Petrus apostolus prohibuit, dicens :«Non habetis commiatum, taetri spiritus, inde exire». Et illi, nimis constricti, super ipsa porta volatu dederunt et sic per aeram fugierunt.

13. Post effugationem vero daemonum, conversus ad me sanctus Petrus dixit : «Redime te, frater !». Et ego cum grande tremore aio ad eum : «Quid possum, bone pastor, donare, quia hic prae manibus nihil habeo». Et ille ait: «Cum ad propria peregrinatione redieris, illud quod quando ad conversionem venisti et sine comiatum absconsum retinuisti, omnibus patefac et duodecim solidos cum festinatione donare non tardes. Ad kal. April. incipe et sic per singulos menses in anno circulo in unumquemque mensem unum solidum in manu pauperis mitte, bene pensatum et manu sacerdotis signatum, ut habeas testes legitimos quod post te nihil de ipso pretio remaneat. Et, sicut iam dixi, in manus peregrinorum mitte et sic tuam redemptionem ad caelestem patriam trans mitte et cave ne ipsas culpas quam per humanam fragilitatem perpetrasti umquam revolutus cadas, et sollicito studio evigila ut ad annum finitum post te denarius non remaneat, quia, si exinde negligens apparueris, multum te in egressione animae tuae paenitebis, et erit tibi ruina peior priora». Et erat ibi quidam senes optima forma, venerabile aspectu, qui beato Petro apostolo propinquius adstibat, interrogavit eum, dicens: «Domine, si ista omnia donat, dimittuntur ei peccata sua?». Et ait ad illum beatus Petrus apostolus: «Si hoc quod dixi donat, statim ei dimittuntur facinora sua ; et si firmius credat, accipiat iudicium»; et sic iudicium accepi. Et dixit Petrus ad illum senem: «Hoc est pretium divitis et pauperis, XII solidi». Post istam monitionem peractam iussit sanctus Petrus duobus puerulis, qui erant albis stolis induti, claritatem vultus fulgidi, forma decori, ut me usque ad prima porta deducerent, ubi fratres monasterii nostri quieti

---

<sup>8</sup> Qui alcuni mss. pongono il disegno delle chiavi (riprodotto nell'ed. dei MGH, *cit.*, p. 387).

residebant, et inde ipsi me per infernum deducerent, ut omnia tormenta peccatorum inspicerem et scirem quid apud alios fratres nostros deberem dicere, et sic deinde usque ad monasterium nostrum inlesum perducerent. Tunc ipsi pueri, mandatum acceptum, prompti ad oboediendum, mirifice me usque ad praedictum locum duxerunt.

14. Sed ut fratres me viderunt, immensas laudes et gratias caelesti egerunt medico, qui me de faucibus diaboli liberavit. Oratione expleta, acceperunt praeceptum a viris beatissimis, ut me ad transituriam patriam reducerent. Coeperunt intra se tractare, quis de ipsis esset, qui me ad propriam peregrinationem revocaret. Consilium initum, rogaverunt unum ex fratribus, nomine Framnoaldo, qui in isto monasterio nostro – quod illi pietas divina concessit – in puerili aetate a corpore migravit, et ad limen ecclesiae sancti Petri corpusculus eius iacet. Rogaverunt eum magnifice ut ipse me ad monasterium reduceret, et insuper adhuc ei polliciti sunt, dicentes: «Si istum fratrem ad monasterium reducis, per singulos dominicos tuum sepulchrum scopis munditiam adhibeat et super ipsum *Miserere mei, Deus*<sup>9</sup> per ordinem usque ad finem decantet». Ad illi ad me conversi dixerunt: «Sponde hoc nobis, tu frater, ut ista promissa implere debeas». Et ego statim promisi et verbum firmavi. Et illi: «Vide ut ex hoc aliud non facias, ne condemnatus de mendacio appareas». Tunc ipse frater Framnoaldus eis respondit: «Ego iussionem vestram obtemperabo; propter quod ille impleat quod promisit». Et fratres gratias Deo referunt pro eius oboedientia.

15. Cereum ei in manum dederunt, ut ipsum ad Ebbonem, Dei famulum, in ecclesia deportaret et ipse in ipsum signum Christi donaret, ne a malignis spiritibus extingueretur et itinerem nostrum conturbarent, qui nos semper in verbo et opere cupent ad tenebras revocare. Et ipsi fratres sic dicebant, quod praefatus frater Ebbo misteria apostolorum in ecclesia celebraret. Sic pariter commeantes venimus ad eum; quem fratres coeperunt rogare: «Homo Dei, signa istum cereum, quia sanctus Petrus nobis praecepit ut hinc ad monasterium reducamus istum peregrinum, ne calumnias daemonum patiatur in suo itinere». Tunc frater Ebbo dixit ad illos: «Dilectissimi fratres, pariter ipsum signemus». Ad ipse primus ut coepit manus suas ad signandum levare, mirus splendor coepit per eius brachia et digita radiare. Et ego ut vidi, diligentius coepi considerare quid esset tantus splendor qui sic eius brachia et digita exornaret. Sed ut inspexi, auri similitudinem et gemmis erant dealbata. Et non sine

---

<sup>9</sup> Ps. 50.



causa ipsa omnia apparuerunt facta. In quo mea parvitas vidit, referam inde pauca. Eius nativitas fuit de generatione inclita, et deinde dereliquit omnem possessionem terrenam, iuxta quod Dominus docuit : «Vade et vende omnia quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me»<sup>10</sup>. Praeceptum impletum, devotionem integram consilium initum, tradidit se in Christi servitio ; comam deposuit, vitia abscidit et sic renovatus factus est minister Christi. Cuius manus semper fuerunt largae ad elemosynam dandam ; erogandam transitoriam mercabat aeternam. Ista et alia bona faciendo refulserunt eius digita et brachia. Nullus ergo debet, dilectissimi fratres, dubitare elemosynam donare, dum sic pius Dominus fideles suos facit in aeterna vita claros habitare.

16. Sequitur: Post expleto signo cerei dixit servus Dei Ebbo ad ipsum fratrem Barontum: «Audi tu, frater! Si tibi daemones insidias in itinere praeparare voluerint, dic tu: “Gloria tibi, Deus”, et numquam te possunt postea de tuo tramite deviare». Post ista omnia acta coepit ipse beatissimus Ebbo fratres rogare ut ipsi me in itinere deducere deberent, et infernum visitarem et custodes inferni viderem et scirem quid fratribus nostris nuntiare deberem. Et dixit illis quia: «Iam, fratres, scimus quod non possunt eum daemones deviare, dum sanctus Petrus illi praecepit ad propriam remeare, ut suam vitam debeat meliorare». Tunc fratres iussa conplentes coeperunt mecum ambulare. Ut autem venimus inter paradisum et infernum, vidi ibi virum senem pulcherrimum aspectum, habentem barbam prolixam, in alta sede quietem sedentem. Et ego ut vidi, coepi ad eos inclinato capite caute interrogare, quis esset iste potens et tam magnificus vir. Ad illi, ad me conversi, dixerunt: «Ipse est Abraham pater noster, et tu, frater, oportet te semper Dominum rogare, ut, cum te a corpore iusserit migrare, in sinu ipsius Abrahae<sup>11</sup> te faciat quietem habitare».

17. Deinde iter agentes pervenimus ad infernum, sed non vidimus quid intus ageretur propter tenebrarum caliginem et fumigantium multitudinem. Sed per illas custodias, qui a daemonibus tenebantur, quantum me Deus permisit videre, exponam. Vidi ibi innumerabilem milia hominum ; a daemonibus ligati et constricti nimium tenebantur graviter, et cum maerore gementium et quasi apium similitudinem recurrentium ad vascula

---

<sup>10</sup> Mt 19, 21.

<sup>11</sup> Cfr. Lc 16, 22.

sua<sup>12</sup>. Sic daemones animas laqueatas in peccatis ad inferni tormenta trahebant et super plumbeas sedes<sup>13</sup> in giro sedere imperabant. Sed ordines malorum et societates eorum quomodo erant, per singula edisseram. Tenebantur ibi superbi cum superbi, luxuriosi cum luxuriosis, periuri cum periuris, homicidi cum homicidis, invidi cum invidis; detractores cum detractoribus, fallaces cum fallacibus gemebant, iuxta quod et sanctus Gregorius in Dialigorum exposuit: *Ligabant eos in fasciculis ad comburendum* et reliqua<sup>14</sup>. Ibi et innumerabilis numerus clericorum, qui hic propositum suum transcenderunt et se cum mulieribus maculaverunt decepti et in tormentis pressi eiulato magno emittebant. Sed non eis proderat quicquam, iuxta quod sanctus Gregorius dicit: *Sine causa cum precibus ad Dominum venit qui tempus congruae paenitentiae perdidit*<sup>15</sup>. Ibi et lassus Vulfoleodus episcopus, deceptione damnatus, cum turpissima veste similitudinem mendici sedebat; ibi et Dido episcopus, et aliquos ex parentibus nostris ibi recognovimus. Ibi et fatuae virgines, qui se de sua virginitate in saeculo plaudebant et nihil de bonis operibus secum portaverunt, sociatos in custodiam daemones, tenebantur, et amare satis<sup>16</sup> gemebant. Et alia causa ibi vidi satis a peccatoribus metuenda. Omnes illi qui sub custodia daemonum tenebantur, a vinculis conligati, et aliquid bonum in saeculum ex parte egerunt, offerebatur illis quasi hora sexta manna de paradiso ablata, similitudinem nebulae habens, et ponebatur ante eorum naribus et ore, et inde refrigerium accipiebant; et qui offerebant similitudinem levitarum habebant, albis vestimentis induti. Et alii, qui nihil boni in saeculo egerunt, non illis offerebatur, sed gementes oculos suos claudebant et pectora sua percutiebant et alta voce dicebant: «Vae nobis miseris, qui nullum bonum, quando potuimus, fecimus!».

18. Sed post istum tantum malum transactum vidimus, pervenerunt apud nos fratres nostri, quorum nomina inserta superius tenentur<sup>17</sup>, simulque et alii conviatores, qui se dicebant

---

<sup>12</sup> La similitudine delle api è già nel VI dell'*Eneide* (vv. 707-709), ed era stata ripresa in riferimento ai dannati anche da Gregorio di Tours, *Historia Francorum* IV 33 (visione di Sunniulfo): *Ipse quoque referre erat solitus, ductum se per visum ad quoddam flumen igneum, in quo ab una parte litoris concurrentes populi ceu apes ad alvearia mergebantur.*

<sup>13</sup> Per il significato del piombo cfr. Gregorio Magno, *Moralia in Iob* XIV 53, 63 (CCL 143A, 736): *Per plumbum nanque, cuius natura gravis est ponderis, peccatum avaritiae specialiter designatur, quod mentem quam infecerit ita gravem reddit ut ad appetenda sublimia attolli nequaquam possit.* Cfr. anche *Visio Wettini*, c. 9.

<sup>14</sup> Così scriveva Gregorio Magno (*Dial.* IV 36, 14), commentando Mt 13, 30 (conclusione della parabola della zizzania): *Messores quippe angeli zizaniam ad comburendum in fasciculis ligant, cum pares paribus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia ducuntur, quia eos in locis poenalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.*

<sup>15</sup> Gregorio Magno, *Hom. in evang.* 12, 5.

<sup>16</sup> *satis* "molto".

<sup>17</sup> Vd. *supra*, c. 8.

ambulaturos ad Pectavinam urbem et limina sancti Hilarii visitaturos, usque dum descendimus in amoenia campania; deinde illi, gratias Deo referentes, reversi sunt ad caelestem patriam. Sic postmodum ego et frater ipse Framnoaldus, qui praeceptum acceperat me reducendi, iter carpentes pervenimus ad nostrum monasterium. Et mirum ibi Dei apparuit mysterium, quia ad ipsius adventum aperta sunt ostia ecclesiae. Et ipse ingressus oravit prolixè, et expleta oratione pervenimus ad ipsius sepulchrum, super quo ipse, genua inclinata, dixit hunc capitulum: *Miserere mei et resuscita me* in adventum regni tui, *Domine*<sup>18</sup>. Et dixit mihi: «Ecce, frater, ubi iacet meum corpusculum. Si vis adimplere quod promisisti, habebis integram mercedem». Sic verba completa, abstulit a me corpus quem de aere acceperam et lumine, et abiit.

19. Et ego peccator, omnem adiutorium a me ablatum, remansi ante ipsius ecclesiae sancti Petri arcum, in tanta tribulatione positus quam ab illa hora, quam a beati Petri praesentia discesseram, non habueram. Coepi me per terram trahere et ad corpusculum meum festinare. Sed immensa Dei clementia misit ventum, qui me levavit in altum et in ictu oculi portavit me usque super ipsum tectum ubi corpus meum iacebat mortuum. Sed statim, ut intus respexi, vidi fratres vigilantes et filium meum nomine Aglioaldo sedentem iuxta ipsum lectum et tenentem manum suam ad maxillam et prae tristitiam adque lassitudinem somnii titubantem. Et iterum vento flante intravi per os meum in corpus meum, et primum verbum eripui in laude Dei: «Gloria tibi, Deus!», ut mihi insinuavit Ebbo servus Dei<sup>19</sup>, et sic postea omnia superius memorata retuli per singula, quantum mihi praeceptum fuit, fratribus nostris.

20. Ista et omnia superius memorata ego, qui scriptitare praesumpsi, non ab alio dicta vel audita, sed per memet ipsum ad praesens probata didici. Si quis aliquis hunc opusculum a me factum legendum in manibus acceperit, potest me de rusticitatem verbi reprehendere, non potest de mendacii culpam redarguere. Quisnam ille est, fratres carissimi, rogo, tam ferream mentem habet, quem non terreant ista denunciata supplicia, ubi daemones unumquemque peccatorem a corpore egredientem tam velociter rapiunt et secum ad infernum trahunt? Hoc et sanctus Gregorius confirmat, quia animam peccatricem ideo Dominus diabolum a corpore trahere permittit, ut compulsa dicat cui se sponte in praesenti vita tradidit in culpa.

---

<sup>18</sup> Ps. 40, 11.

<sup>19</sup> Vd. *supra*, c. 16 (dove però l'espressione non ha valore di ringraziamento, ma di protezione contro i dèmoni).

Quis tam alienus erit a fide, qui sententiae istius non credat? Sed ideo multi non credunt, quia plus eos delectat amor saeculi et quomodo terrena, quam delectat amor Dei et societas angelorum adque sanctorum.